



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid sit publicum sacrificium Ecclesi[a]e, siue missa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

2. *Quare sit institutum.*

3. *Quaratione dicatur esse sacrificium.*

**M**issa est Cereemonia siue opus sacerdotis vel publicum officium, quod facit super altare, quando consecrat aut facit ex pane corpus, & ex vino sanguinem Christi, ex mandato & institutione eius ad memoriam passionis suae, & nostrae redemptionis, vt testatur scriptura, Luc. 22. & 1. Cor. 11. Hoc facite in meam commemorationem, id est, quia vos meo corpore & sanguine redemi, hoc debetis in sacro officio Missae celebrantes & caeteri assistentes recordari, quod hoc meo beneficio estis redempti, & sic Deo gratias agere &c. In Missa autem duo sunt: Consecratio corporis & sanguinis Christi, ex speciebus panis & vini, deinde manducatio & bibitio, sicut praecipit Apostolis, dicens: Accipite, comedite, & bibite: & haec est tota substantia & principale bonum huius sacrificij. In eo fidesumentis accipit remissionem peccatorum, qua fide homo credit hoc corpus pro se traditum, & sanguinem eius effusum esse pro peccatis suis, & hoc modo Missa solum prodest sumenti & communicanti. Deinde in Missa fiunt orationes, laudes, confessio nominis Christi, gratiarum actiones, petitiones, suffragia &c. illa omnia pro sunt non solum communicanti, sed etiam adstanti, & tam uiuis quam defunctis: orat enim sacerdos, vt Deus pater pro passionem filij velit & uiuis & defunctis esse propitius, remittere peccata, donare necessaria, salutem & requiem aeternam, liberare animas & conseruare a periculis, idque fit non propter hoc opus operatum Missae: nam Missa per se non est actus Christi crucis, nec sacerdos aequalis CHRISTO est, igitur non fit propter hoc opus sacerdotis, sed propter Christum filium DEI, & virtute veri sacrificij

ficij Christi, quod ipse obtulit in cruce DE O patris hęc inquam virtus totum illud efficit. Missa est tantquam annuncians oratio nostra ad Deum patrem, vt ppter merita filij sui hęc nobis concedat, & est acceptum nuncium apud patrem, quia secum defert passionem & mortem filij sui dilecti, & huius dilecti sanguinis vox clamat & impetrat ea vobis &c.

<sup>2.</sup>  
Sacrificij  
duplicis  
primum.

I I.

Secundò, scriptura duplex sacrificium commemorat. Vnum quod dicitur propitiatorium, (gnadoffer) quod meretur alijs remissionem peccatorum, culpę ac pęnę æternę: vel dicitur sacrificium reconcilians Deum, ac placans iram Dei pro alijs: vel est satisfactorium pro culpa & pęna æterna aliorum: sic sola Christi mors & passio, est sacrificium vnicum & solum, Gal. 1. qui dedit semetipsum pro nobis, Eia. 53. Oblatus est, quoniam sic voluit pater, qui posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Alterum sacrificium est laudis & gratiarum actionis: hoc fit ab illis, qui iam sunt reconciliati & iustificati, qui pro accepta remissione peccatorum & redemptione atque ceteris Christi beneficijs gratias agunt Deo. Et tale sacrificium est ipsa Missa, non pęnale sicut erat in cruce, nec cruentum, sed gratiarum actio pro pęna crucis, non nouum aut singulare, sed memoratio, eiusdem viuui sacrificij: & non solum memoratio sed & ipsum sacrificium & idem. Nam vbicunq; fuerit corpus Christi & sanguis, ibi est & sacrificium: at cum altari sit verum Christi corpus, sequitur & ibi esse sacrificium. Non autem in hoc sacrificio iterum occidimus Christum, sicut ludęi fecerunt, & heretici faciunt, separantes corpus & sanguinem: sed petimus, vt propter ipsum corpus & sanguinem Christi, quibus salus nostra est acquisita, nostrorum omnium viuorum quàm defunctorum pro quibus suffragia fiunt, velit Deus misereri, &c. Et quanuis quilibet propria